



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Adulationis peccatum tripliciter committitur: estq[ue] humanæ fragilitati  
valde nocuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

vel malae inoraliter, sicut electiones; & propterea si deliberatae refutationes non sunt peccata mortalia, nec tristitia sunt mortalia peccata.

Ex his habet, quod quin quis tristatur de ieui-  
nio, oratione, festorum obseruatione, & huiusmodi,  
& propter huiusmodi tristia negligit ieunare, ora-  
re, aut festa seruare, peccat peccato acedie: non ut est  
speciale peccatum, sed acedia communiter dicitur, que  
non trahit peccatum in aliam speciem.

*Adulationis peccatum tripliciter com-  
mititur: estq; humanæ fragilitati valde  
nocuum.*

**A**dulatio est peccatum, quia est excessiva laus seu  
complacentia verbis vel factis in communi con-  
uersatione. Et tripliciter ostendit esse peccatum morta-  
le. Primum ratione materiae laudatae: ut si quis laudet  
aliquem de agu qui est peccatum mortale. Vel ratio-  
ne finis, ut si quis laudet aliquem ad hoc ut noceat illi  
corporaliter, vel spiritualiter. Vel ratione occasionis,  
ut quum quis laudando fit alteri præter intentionem  
suam occasio peccandi mortaliter.

Et primi duo modi, quia sunt manifeste contra  
charitatem, sunt inexcusabiles. Tertius autem cum  
grano salis intelligendus est, mensurando occasionem  
peccandi an sit data vel accepta, & an sit cognitum  
& cogitatum à laudante, quod is qui laudatur, ex hu-  
iusmodi laude ruere solitus sit in mortale peccatum.  
& rursus an ex debito, an sponte laudans laudet. In iis  
enim quae sunt ex suo genere recta & præter in-  
tentionem operantis alius ruit, non modicam haec faciunt  
differentiam, ut in materia de scandalo declarabitur.  
Quum enim aliquis debet ex officio aliquem de bo-  
no aliquo opere laudare, etiam si sciat laudatum im-  
superbiac mortalem se elaturum, non tenetur pro-

p[ro]cessus

# Adulterium.

27

pterea desistere à debito officio: potest tamen & debet deponere huiusmodi scientiam de futura ruina illius: quia xii horæ sunt diei, & potest in instanti homo illuminari & mutari à diuina misericordia.

Est autem adulatio peccatum valde graue, & propter nocimenta maxima quæ affert humano generi (hinc enim facile, ut Hiero. ait, n'retes hominum corruptuntur: & ad ea quæ laudantur quamvis criminosa accenduntur & assuefcunt, in tantum ut mala non solum desinant haberi ut turpia, sed habentur ut bona, & laude, honore, ac præmio digna: quo quid peius?) & propter excessum diuinæ offensæ: iuxta illud, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, exacerbavit Dominus peccator. Est autem peccatum veniale, quando vel laudatur aliquis de malis venialibus, vel de bonis, sola complacendi intentione, absque ruina, vel etiam ob aliquam utilitatem cōsequendam vel non impedientiam: ut de se patet.

*Adulterium semper est peccatum: Et multa inducere potest incommoda.*

**A**dulterium quantum ad crimen, est manifestè peccatum mortale: quantum vero ad damnificationē consideratione eget. Duplex enim habet, quis non semper annexum damnum alienum, vel successoris, vel hospitalis. Nam si proles ex adulterio suscepta marito matris succedit, vel ab eo dotatur, damnificantur hæredes legitimi. Et propterea uterque adulter, quia danni huius causa existit, teneatur secundum vires ad satisfactionem: aut manifestè, si negotium id patitur aut sub aliquo velamine, donando læsis per interpositam personam, aut per se quod potest. Verum circa huiusmodi manifestationis negotium diu pensanda sunt: scilicet periculum & spes.

B 3

Si enim